



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 101. Omnis qui est ex veritate, vocem meam audi. v. 37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

vitia tenebrarum sequacia. O Domine bene prosperare, prospere procede & sic æternum regna.

§. 101. *Omnis qui est ex veritate, vocem meam audit. v. 37.*

Continuat Christus coram Præside probare suam spirituales regalitatem, quæ est in subiectione aliorum per veritatis inculcationem & sequentem deinde obedientiam, qua vigente iam clare Christus regnat. Quid igitur novi dicit Dominus hic quod ante non dixerat? Hoc. Duos modos ingrediendi animos se tenere, unus est in infantibus per regenerationem & alius in ratione utentibus per Prædicationem, & hoc utroque Gratiæ modo Christus omnes homines sibi subiugare potest, & nunc subiugat, & subiugavit regna omnia cum illo tamen discrimine, quod felicius sit regenerari infantem, quam converti per prædicationem. Quia regeneratus ex aqua & Spiritu S. habet pondus trahens ad intelligendum & credendum, & obediendum nempe habitus infusus in baptismo, quos non habet adultus ex infidelitate convertendus per Prædicationem, quinimo hic habet in se pondus trahens, nempe corruptæ naturæ assuefactionem in contraria fidei dogmata, & contraria caritati opera.

Domine Iesu, Salvator mundi, mirabilia sunt verba tua, seu testimonia tua, propterea ea gustans amplius ea exquiram & scrutabor, quia sunt verba vitæ, & vitam haurimus ex ipsis, imo sunt Spiritus & vita. Ioan. 6.

§. 102. *Dicit ei Pilatus quid est veritas. v. 38.*

Cum tam alta loquentem ac de veritate nominatim audiret Pilatus quodque in ea Christi regnum fundatum esset, non omisit interrogare, quid ea esset, hoc enim penetrato, tota ratio regni Christi videbatur esse elucidata.

O Pilate bene facis quod quæras quid sit veritas, sed fortasse melius faceres, si non tam definitione eius interrogares, quam praxim assequendi veritatē. Bene tamē quæris, & Philosophi etiā in Metaphysicis hoc quærun, & dicunt quod sit proprietas Entis. omne enim Ens bonū, verum & unū est. Dicunt etiā ulterius quod veritas ista sit ipsū ens quidē, sed insuper involvat aliquod connotatum respiciendo intellectum, cuius Ideæ cum ens est conforme verū dicitur, cum vero discrepat, falsum dici solet. Valde igitur subtilem rem quæstisti Pilate, nam omnis res, si divino iudicio conformetur veritatem tenet, si difformis sit, falsitatem habet, & hoc Christus egit & agit hodieque ut res omnes divino iudicio & voluntati conformentur,

K

in hoc